De Helia et Ieiunio (Latin)

Ambrose of Milan (c. AD 339–397)

SermonIndex.net / Church Fathers

Sections 1 to 37

Diuinum ad patres resultauit oraculum, ut, cum egrederentur ad bellum, tuba canerent, cuius sonitu dominus reminisceretur populi sui, quo petitum conferret auxilium plus quae misericordiae suae incentiua cognoscens, et in diebus laetitiae suae, in numeniis suis concinerent tubarum sono. unde et Dauid ait: canite in initio mensis tuba, in die frequenti sollemnitatis uestrae. ueniet igitur nobis dies sollemnitatis et iam adpropinquat. canamus tuba tamquam in proelium progredientes, canamus tuba, ut adnuntiemus sollemnitatis diem. simul nobis et certamen imminet et uictoria repromittitur. uictoria nostra crux Christi est, tropaeum nostrum pascha est domini Iesu. sed ille ante est proeliatus, ut uinceret, non quo ipse egeret certamine, sed ut nobis formam bellandi ante praescriberet et postea daret gratiam triumphandi. certamen nostrum ieiunium est. denique ieiunauit saluator, et sic ad eum temptator accessit. et primum gulae direxit spiculum dicens: si filius dei es, dic lapidi huic, ut panis fiat. ille cibum uelut escam laquei praetendit, ut sic inlaquearet adpetentiam corporalem, dominus ieiunium praetulit, ut laqueos temptatoris, ut uincula dissolueret. denique sic habes scriptum: non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo dei. illo laqueo Adam fuerat strangulatus, hac absolutione diabolicae quaestionis omnis homo est liberatus.

! Magna uirtus ieiunii, denique tam speciosa militia est, ut ieiunare delectaret et Christum, tam ualida, ut ad caelum homines eleuaret. et ut humanis magis quam diuinis utamur exemplis, de Heliae ieiuno ore uox missa caelum clausit sacrilego populo Judaeorum. etenim cum a rege Achab altare esset idolo constitutum, ad uerbum prophetae tribus annis et sex mensibus ros pluuiae non cecidit super terram. digna poena, quae intemperantiam congrue coherceret, ut caelum inpiis clauderetur, qui terrena polluerant. dignum etiam, ut ad condemnationem regis sacrilegi propheta ad uiduam in Sarepta Sidoniae mitteretur, quae quoniam deuotionem cibo praetulit, meruit ut ariditatis publicae sola non sentiret aerumnam. itaque non defecit hydria polenta, cum torrentis fluenta deficerent.

quid eius reliqua contexam ? ieiunus filium uiduae ab inferis resuscitauit, ieiunus pluuias ore deposuit, ieiunus ignis deduxit e caelo, ieiunus curru raptus ad caelum et quadraginta dierum ieiunio diuinam adquisiuit praesentiam. tunc denique plus meruit, quando amplius ieiunauit. ieiuno ore statuit fluenta Iordanis et redundantis fluminis alueum repente siccatum puluerulento transmisit uestigio. merito illum dignum caelo diuina iudicauit senten-

tia, ut cum ipso raperetur corpore, quoniam caelestem uitam uiuebat in corpore et supernae usum conuersationis exhibebat in terris.

Quid est enim ieiunium nisi substantia et imago caelestis ? ieiunium refectio animae, cibus mentis est, ieiunium uita est angelorum, ieiunium culpae mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiae, fundamentum est castitatis. hoc ad deum gradu citius peruenitur, hoc gradu Helias ascendit ante quam curru, hanc hereditatem sobrietatis abstemiae ad caelum abiens discipulo dereliquit, in hac uirtute et spiritu Heliae uenit Iohannes. denique in deserto et ille uacabat ieiuniis; esca autem eius erat locustae et mei siluestre. et ideo qui uitae humanae possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed angelus aestimatus est. de ipso legimus: etiam plus quam propheta. hic est, de quo scriptum est: ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit uiam tuam ante te. quis humana uirtute equos igneos, currus igneos potuisset ascendere, regere aerios currus nisi qui naturam humani corporis incorruptibilis ieiunii uirtute mutasset?

sed de Heliae gestis plurima iam frequenti diuersorum librorum sermone digessimus et cauendum arbitror, ne in eadem recurramus, cum praesertim in opere suo ipse laudetur. imitemur ergo illum et eam escam quaeramus, cuius uirtute diebus ac noctibus progredi ad supernorum possimus cognitionem. non enim omnis esca materialis nec omnis cibus corporalis: est cibus mentis, ut diximus, quo epulantur animae, de quo ait dominus: meus cibus est, ut faciam uoluntatem patris mei, qui in caelis est. hic cibus angelorum, ut diuino famulentur imperio. nulla illis cura mensarum, nullus conuiuiorum usus, nullae repositae epulae, nullus uini potus aut sicerae, nulla distentio corporis, nulla uentris offensio.

Itaque ne terrenum quis aut nouellum putet esse ieiunium, primus usus mundi a ieiunio coepit, quando lux clara resplenduit. secundus dies ieiunio, quando caeli factum est firmamentum. tertio die terra pabulum germinauit, natura obsequium praebuit: ieiunium tamen caelestis disciplina seruabat. quarto die luminaria facta sunt solis et lunae: et adhuc ieiunium. quinto produxerunt aquae repentia animarum uiuarum et uolatilia super terram secundum firmamentum caeli, et uidit deus quia bona sunt. et benedixit ea deus dicens: crescite et multiplicamini et replete aquas, quae sunt in mari, et uolatilia multiplicentur super terram: et adhuc ieiunium. denique \'benedixit ea\' scriptum est \'et dixit: crescite,\' non dixit: edite et manducate. sexto die bestiae sunt creatae et cum bestiis orta edendi potestas est et usus escarum. ubi cibus coepit, ibi finis factus est mundi, ibi coepit sua incrementa nescire, ibi coeperunt diuina circa eum opera feriari. quo indicio declaratum est quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit augeri. nemo delictum sciebat, nemo poenam timebat, nemo nouerat mortem.

plantauit dominus paradisum ad gratiam beatorum, posuit ibi hominem operari et custodire eum et, uti sciamus non esse nouellum ieiunium, primum illic legem constituit de ieiunio; sciebat enim quod per escam culpa haberet intrare. prima poena de ieiunii praeuaricatione dicente mandato dei: de ligno quod est scientiae boni et mali non edetis; qua die autem manducaueritis ex eo morte moriemini. eo usque autem nemo praeuaricari nouerat, ut adhuc orta non esset quae prima est praeuaricata indictum abstinentiae. lex a domino

deo, praeuaricatio legis a diabolo: culpa per cibum, latebra post cibum: cognitio infirmitatis in cibo, uirtus firmitatis in ieiunio. denique quamdiu interdictis abstinuerunt, nesciebant esse se nudos : posteaquam manducauerunt de interdicta arbore, nudatos se esse cognouerunt. merito ergo mulier, ubi culpae agnouit auctorem, interrogata: serpens persuasit mihi, et manducaui. serpens gulam suadet, dominus ieiunare decernit. denique ipse ait: ieiunate et orate, ne intretis in temptationem. itaque gula de paradiso regnantem expulit, abstinentia ad paradisum reuocauit errantem.,

Et dixit deus: ecce Adam factus est tamquam unus ex nobis. inridens utique deus, non adprobans dicit, hoc est: putabas te similem fore nostri? quia uoluisti esse quod non eras, destitisti esse quod eras. itaque, dum supra te esse adfectas, infra te esse coepisti. denique uestiuit eum tunica pellicia prius et sic ait: ecce Adam, quasi dicat: ecce amictus tuus, ecce dignum indumentum tuum, hic te uestitus decet. qui diuina affectant tali digni habentur ornatu. ecce quo te tua culpa deduxit, ecce nunc in hac tunica pellicia tamquam unus ex nobis aperuisti oculos. circumspice diligenter: nudum te aspicis, quem uestitum putabas.

gula ergo nudos facit, ieiunia operiunt et exutos. unde dominus ait: operui in ieiunio animam meam. bonum operimentum quod et animam tegit, ne a temptatore deprehendatur, ne a temptatore nudetur. bonum uelamen quod tegit culpam, tegit abstinentia, tegit gratia; beati enim quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata. tegit gratia, dum remittit et omnem abolet errorem: tegit abstinentia, dum obumbrat uitium et maesto abscondit affectu atque extenuat paenitendo. etenim ieiunium et elimosyna a peccato liberant. opertus erat Adam uirtutum uelamine priusquam praeuaricaretur. sed tamquam exutus praeuaricatione uidit esse se nudum, quia indumentum quod habebat amiserat. in diebus enim ieiuniorum uestrorum orietur inquit tibi matutinum lumen tuum et sanitas tua matura orietur et praecedet ante te iustitia et circumdabit te maiestas domini. bonum uestimentum lux. scriptum est enim: circumdatus luce sicut uestimento. bonum uestimentum, quando circumdat dominus et operit ieiunantes.

Nudatus erat Noe, quando inebriatus est: texit eum pietas filiorum. at nudatus erat per ignorantiam, non per intemperantiam; adhuc enim uinum nesciebatur. in principio generis humani ignorabatur ebrietas. primus uineam ipse plantauit: dedit naturam, ignorauit potentiam. itaque uinum nec suo pepercit auctori. quid mirum si, cum dominus ipse creaturas suas laudauerit, et iste miratus est? itaque cum delectaret eum reperti muneris gratia, temptauit uehementior creatura insuetos senis artus, turbauit nona potio. dormitauerunt inquit qui ascenderunt equos. ascendit corporis uoluptates: et iustus obdormiuit. sed illius ebrietas nobis suadet sobrietatem. semel enim inebriatus est Noe; ubi uero malum ebrietatis agnouit, inuentum suum ad remedium temperauit, non effudit ad uitium. unde apostolus ait: uino modico utere propter frequentes tuas infirmitates.

manebat antequam uinum inueniretur omnibus inconcussa libertas; nemo sciebat a consorte naturae suae obsequia seruitutis exigere. non esset hodie seruitus, si ebrietas non fuisset. oprepserat quidem fraternae praelationis inuidia, manebat tamen adhuc paternae pietatis reuerentia. laesa pietas est, dum ridetur ebrietas. non illis itaque solis nocent uina

quos temptant, sed et illis amplius quorum oculis temulenta ebriorum membra nudantur. hinc risus inreuerens nascitur, hinc libido flammatur, ut multo maiore temulentia eos uina perturbent quorum oculos ac mentem inebriauerint quam quorum membra prostrauerint.

Legimus etiam quod patrem Loth inebriauerint filiae in eo monte, ad quem timentes incendia Sodomitana confugerant et habitabant in spelunca. conuenit ebrietati atque concurrit aetas, sexus. solitudo, locus ferarum magis latibulis quam humanis aptior domiciliis. fuit itaque ebrietas origo incesti, pessimae generatricis partus deterior.

at non Abraham uinum in suo conuiuio ministrabat: immolabat uitulum et butyrum . et lac etiam angelis hospitibus exhibebat — caeli dominum, mundi agnoscebat auctorem —; uinum enim exhibere non poterat. sed recte illic deerat materia peccati, ubi erat remissio peccatorum.

denique adnuntiauit eum Iohannes neque manducans panem neque bibens uinum; qui enim Christum adnuntiat ab omni uitiorum incentiuo praestare se debet. alienum. uicit igitur sanctum Noe uel etiam Loth Abrahae nepotem ebrietas, quorum alter, cum ieiunaret, diluuio superstes fuit, alter incendio.

Moysen quoque cognouimus sitienti populo aquarum amaritudines temperasse, non uina. cui petra aquam uomuit potuit et uini abundantia non deesse. denique deus dixit: percuties petram, et exiet aqua et bibet populus, non dixit: exiet uinum in populo; periculosum enim erat uinum ministrare, quod fortiores ferre uix possent. denique Moyses de ieiunio legem dedit, de uino non dedit.

ipsum quoque ieiunantem non uoces magnae, non fulgora et nubes nimbosa, non fumigans Sina perterruit. neque uero introisset in nubem et uocem dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset nisi munitus armis ieiunii. quadraginta enim diebus ieiunauit in monte, cum legem acciperet a domino deo nostro. et in superioribus quidem montis lex dabatur Moysi ieiunanti, in inferioribus populo manducanti praeuaricatio sacrilega luxu accendebatur epulantium. quo spectaculo motus fregit tabulas Moyses indignum iudicans ut ebrio populo lex daretur.

itaque tabulas legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas. quid uero alia dicam ? nonne sterilitatem matris Sampso uini abstinentia fecundauit et parientem fecit ex sterili? quoniam iuxta praeceptum domini uinum non bibit. nonne Annam non manducantem. exaudiuit dominus et infecunditatem eius soluere ieiunia? ex quibus duo <qui> generati sunt, unus fortissimus, alius obseruantissimus, dignos se praebuerunt, qui ieiunii gremio diu foti et quodam abstinentiae fusi utero uiderentur. idem itaque Sampso, qui matris sobrietate generatus est, allophylorum insultantium sibi ebrietate est uindicatus.

Helisaeus uates, qui de magistro didicerat parsimoniam, cum filios aleret prophetarum, uitis agrestis grumulis mensas onerabat et ineptis siluestribus hospitalis humanitatis implebat officium. quorum offensi amaritudine cum manducare non possent, leuis farinae as-

persione omnem illam amaritudinem temperauit propheticae munere abstinentiae ueneni uires euacuans.

E Est quaedam creaturae natura, quam amiautum uocant, nullo facilis igne consumi, quae inposita focis ignescit, ilico sublata de flamma tamquam aquarum infusione munda resplendet. talia erant Hebraeorum puerorum corpora, quae de ieiunio in amianti transformata naturam uaporem ignis non ad dispendium sui, sed ad gratiam mutuabantur. denique cum furerent fornacis incendia, ut ultra quadraginta cubitos flamma per circuitum funderetur consumens plurimos quos repperiret Chaldaeorum, qui naphtha, pice et stuppa atque sarmento alimenta ignibus ministrabant, ubi cum ieiunio ingressi sunt. discusso ardore flammarum in medio fornacis coepere statim roris spiritu refrigerantis umescere, ita ut eorum nullus capillus capitis exureretur, quia illam quoque ieiunia comam pauerant.

Daniel, uir desideriorum, trium ebdomadum ieiunio leones quoque docuit ieiunare. missus in lacum in adamantis rigorem abstinentiae soliditate membra duratus non patuit uulneri. sic eum constrinxerant ieiunia, ut in eius corpore ferarum morsibus locus esse non posset. clausa tenebant leones ora, quae abstinentiae propheticae sanctitas comprimebat, ut ea ferae aperire non possent meriti quibusdam uinculis alligata.

ieiunium itaque uirtutem ignis extincxit, ieiunium ora obstruxit leonum, ieiunium maris fluenta solidauit, ieiunium petram soluit in fontes aquarum, uirtute ieiunii contra suam mutata naturam et fluctus obriguit et petra inundauit.

Et quid uetustis utar exemplis, cum abundet ieiunium etiam praesentium muneribus gratiarum? quis deteriorauit domum suam ieiunio, quis inminuit facultates? cui non, suspecta luxuries, cui non uenerabilis abstinentia? cuius torum appetiuit parsimonia, cuius pudorem non laesit ebrietas ? ieiunium continentiae magisterium est, pudicitiae disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma uirtutis, purificatio animae, miserationis expensa, lenitatis institutio, caritatis inlecebra, senilis gratia, custodia iuuentatis, ieiunium est infirmitatis adleuamentum, alimentum salutis. nemo cruditatem ieiunando incidit, nullus per continentiam ictum sanguinis sensit, immo nullus non repressit et reppulit. bonum iteneris uiaticum, bonum totius uitae, bonum in mari: sedat naufragia, cibum seruat.

graue dicunt esse ieiunium: respondeant quis e ieiunio defecerit. multi in prandio, plerique dum uomunt epulum fudere animam. quod postremo animal ieiunium sibi causam fuisse mortis ingemuit? per escam laqueus non cauetur, in esca hamus latet: cibus deducit in foueam, cibus inducit in retia, cibus uisco etiam aues inligat, cibus uolantes deponit ad mortem. quae non propter uentrem pericula? muta animalia crimen nesciunt et in hoc solo tamquam pro crimine puniuntur. ieiunium sobrietas mentis est. hoc uigent sensus, in hoc iudicia tractantur, in conuiuio pocula. ieiunium custodit disciplinam, luxuriam sequitur inopia. mater est luxuria famis secundum propheticum dictum. ieiunium quietem diligit, luxuria inquietudinem: ieiunium otia serit, luxus negotia.

Ferietur aliquando Tcoquonim mastigiarum machaera. requiescat obsonator, qui antequam luceat fores pulsat alienas et tamquam bellum aliquod inmineat excitat dormientes. turbatum uides, anhelantem aduertis. interrogas quae causa perturbationis. pascit, inquit, dominus meus, ubi uinum melius ueneat quaerit, ubi durior uulua curetur, ubi iecur mollius, ubi fasianus pinguior, ubi piscis recentior. cursitat per diuersa et cum inuenerit, summo cursu properat, inquietat dominum somnolentum, auctionatur pretia. si pretium mouerit piscis, nusquam meliores adserit inueniri, immo deesse. heri, inquit, tempestas, hodie procella; uix istum potui latentem deprehendere. multi concursant in macello. si tu reddideris, alter plus dabit, et quid exhibebis in prandio? istius uini ille natalis est, haec ex illo lacu lecta ostrea. talis fit de singulis licitatio; hasta quaedam agitatur inter obsonatorem et pastorem. turbatus addicit patrimonium, rogat adhuc per quos suorum bonorum iura minuantur.

curritur ad coquinam, fit ingens strepitus, fit tumultus. tota exagitatur familia, maledicunt omnes, quod nulla his requies detur. tandem aliquando da requiem coquo, statue pincernae dexteram: summum gelu riget. ille in frigida exercet manus, illi marmora lauantur. mundant pauimenta uino madida et spinis cooperta piscium. quanti dum ambulant uulnerantur! in ipso conuiuio clamor epulantium, gemitus uapulantium. si quid forte displicuit amicis, rident: tu indignaris. sileat aliquando domus a multis perturbationibus huc atque illuc discurrentium, a sono immolatorum animalium, uacet fumo et semustulatorum nidore. non coquinam, sed carnificinam putes, proelium geri, non prandium curari: ita sanguine omnia natant.

Malae dominae seruitur gulae, quae semper expetit, numquam expletur. quid enim insatiabilius uentre? hodie suscipit, cras exigit. cum impletus fuerit, disputatur de continentia: cum digesserit, uale uirtutibus dicitur, quaerit luxuriam. inter pocula philosophia praedicatur, inter philosophos uina laudantur. uigiliae inquit et cholera et tortura uiro insatiabili. manducat et paulo post eum paenitet.

non illum diutius sua intemperantia delectauit diuitem, qui induebatur purpura et bysso et epulabatur cottidie splendide, cuius ad ianuam Lazarus ille mendicus iacebat plenus ulceribus, cupiens saturari ex his quae de mensa cadebant diuitis. paulo post cum esset mortuus, coepit rogare positus in inferno, ut extremum digiti sui pauper ille in aquam intingeret et refrigeraret linguam eius, quae ardebat incendio. ubi illae copiae. ubi illae ebrietates ? sitit qui inebriabatur, abundat qui mendicabat. in ipso conuiuio dum bibunt, sitiunt et cum inebriati fuerint, amplius bibunt. quasi aperto gurgite uinum iam non bibitur, sed infunditur: poculum non libatur, sed exinanitur.

Spinae inquit nascuntur in manu ebriosi, quia ipse se manibus suis uulnerat, ipse ulcera sibi in pectus deicit. his spinis scindit uestimentum fidei quod accepit et thensaurum suum seruare non poterit; omnis enim ebriosus et fornicator egebit et induet se scissa uestimenta insipientiae. et ideo potentes uinum prohibentur bibere, ne cum biberint, obliuiscantur sapientiam.

denique bibebant uinum in ebrietatem potentes qui Olopherni principi militiae regis Assyriorum se tradere gestiebant, sed non bibebat femina Iudith, ieiunans omnibus diebus uiduitatis suae praeter festorum dierum sollemnitates. his armis munita processit et omnem Assyriorum circumuenit exercitum. sobrii uigore consilii abstulit Olophernis caput, seruauit pudicitiam, uictoriam reciperauit. haec enim succincta ieiunio in castris praetendebat alienis, ille uino sepultus iacebat, ut ictum uulneris sentire non posset. itaque unius mulieris ieiunium innumeros strauit exercitus ebriorum. Esther quoque pul-

chrior facta ieiunio — dominus enim gratiam sobriae mentis augebat — omne genus suum, id est totum populum Iudaeorum a persecutionis acerbitatibus liberauit, ita ut regem sibi faceret esse subiectum, non libidinis ardore flammatum, sed caelesti miseratione conuersum, ita ut et poena in impium retorqueretur et honor sacris redderetur altaribus. itaque illa quae triduo ieiunauit continuo et corpus suum aqua lauit plus placuit et uindictam rettulit. Aman autem dum se regali iactat conuiuio, inter ipsa uina poenam suae ebrietatis exsoluit.

est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, uirtutis incrementum, quod fecit etiam feminas fortiores augmento gratiae. ieiunium nescit faeneratorem, non \' sortem faenoris nouit, non redolet usuras mensa ieiunantium,\' non strangulant filium continentis uiri paternae centesimae, non uexant uiduam oppignorata sobrii uiri iura defuncti, non defaenerata excludit heredem aula ieiuni.

etiam ipsis ieiunium conuiuiis dat gratiam. dulciores post famem epulae fiunt, quae adsiduitate fastidio sunt et diurna continuatione uiliscunt. condimentum cibi ieiunium est. quanto auidior adpetentia, tanto esca iocundior. commendat sitis poculum. nescit uini quaerere uenustates qui quidquid hauserit transmittit ad satietatem, non ad iudicium nare suspendit. usu etiam pretiosa degenerant. quorum autem difficilis possessio, eorum grata perfunctio. ipse sol post noctem gratior, ipsa lux post tenebras splendidior et post uigilias sopor dulcior, ipsa salus post aegritudinis temptamenta iocundior. ab ipso mundi conditore didicimus saepe diuersitatibus cumulari gratiam. patrocinatur ergo et conuiuio fames et gratior fit mensa ieiuniis.

Mystica quoque mensa ieiunio conparatur, illa mensa, de qua dicit Dauid: parasti in conspectu meo mensam aduersum eos qui tribulant me. famis adquiritur pretio et poculum illud inebrians sobrietate caelestium sacramentorum siti quaeritur. dixit enim dominus: qui sititis ite ad aquam et quicumque non habetis argentum ite et emite et bibite et manducate. et alibi ait: ecce qui seruiunt mihi manducabunt, uos uero esurietis: ecce qui seruiunt mihi bibent, uos autem sitietis. qui uos nisi qui ante potastis? de quibus supra dixit: parastis daemoniis mensam et inplestis fortunae poculum. ergo si ad mensam illam uenerabilem ieiunia nos sancta perducunt, si hac fame illa quae sunt aeterna mercamur, quid de iis dubitamus quae in usu humano sunt, quod etiam haec nobis faciat suauiora ieiunium?

non omnis autem fames acceptabile ieiunium facit, sed famis, quae dei timore suscipitur. considera. quadragesima totis praeter sabbatum et dominicam ieiunatur diebus. hoc ieiu-

nium domini pascha concludit. uenit iam dies resurrectionis, baptizantur electi, ueniunt ad altare, accipiunt sacramentum. sitientes totis hauriunt uenis. merito dicunt singuli refecti spiritali cibo et spiritali potu: parasti in conspectu meo mensam, et poculum tuum inebrians quam praeclarum! non sola autem fames quaeritur, sed plena disciplina ieiunii. denique aliis dicitur: in diebus enim ieiuniorum uestrorum inuenitis uoluntates uestras et omnis subditos uobis stimulatis. an ad iudicia et rixas ieiunatis et percutitis pugnis? ut quid mihi tale ieiunium, ita ut audiatur in clamore uox uestra? non hoc ieiunium ego elegi et diem, ad humiliandam animam suam hominem, nec si flectas ut circulum collum tuum, cinerem etiam et cilicium substernas, nec sic uocabitis ieiunium acceptum. non tale ieiunium ego elegi, dicit dominus. quod ieiunium improbetur audiuimus, nunc audiamus quod sit probabile. sed solue omnem colligationem iniustitiae tuae, dissolue obligationes uiolentarum commutationum, dimitte confractos in remissionem et omnem conscriptionem iniquam disrumpe. frange panem tuum esurienti et egenos non habentes tectum induc in domum tuam. si uideris nudum, cooperi et domesticos seminis tui non despicies. uides quae species sit et forma ieiunii, qui mentis habitus, ut orationi uaces, ut in lege dei die et nocte meditere.

Ipsa figura corporis plena grauitatis. nullus rubor ebrietatis circumfusus genas, qui intuentium offendat aspectus, sed uultus casto micat pallore reuerendus. sermo grauior, oculus uerecundior, gressus stabilior atque moderatior; plerumque enim turbatiore incessu proditur motus animorum. uultus intentior et quidam cogitationis suae arbiter et tacitus cordis interpres, ut neque tristitiam praetexat neque soluatur risu incontinenti. non enim hoc superfluum putes nostrae esse commonitionis, cum sapientia in euangelio dicat: cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes. ideo dixit hypocritas, eo quod simulatione alienam personam induant, sicut in scaena qui tragoedias canunt [et] pro eorum dictis quorum personas gerunt motus suos excitant, ut aut irascantur aut maereant uel exultent; adfectant enim isti ut ieiunare uideantur, hominibus magis quam deo cupientes probari, quod faciebant ludaei.

et ideo nobis dicitur: uos autem cum ieiunatis, unguite caput uestrum et faciem uestram lauate, ne pareatis hominibus quia ieiunatis, sed patri uestro, qui est in abscondito. et pater uester, qui uidet in abscondito, reddet uobis. quid est unguite caput uestrum? sed et luxuriosi dicunt: \'uino et unguentis nos repleamus). unguento enim se ungunt qui corporei odoris gratiam quaerunt: sed illa unguenta libidinis inlecebram mouere consuerunt. aliud est sobrietatis unguentum, de quo dicit ecclesia ad sponsum: unguentum exinanitum nomen tuum, aliud oleum, quo artus animae et quaedam membra pinguescunt. unde et Dauid ait: inpinguasti in oleo caput meum; hoc est oleum laetitiae, quo unctus est Iesus Christus a patre deo, ut prae omnibus suis emineret consortibus. hoc iubet ungi caput nostrum, ut oleo laetitiae obducatur omnis simulata tristitia, ne uidearis ieiunium tuum uendere hominibus. ne uidearis contristari in animae salute; nemo enim tristis coronatur, nemo maestus triumphat. unge ergo caput tuum, ubi sensus sapientis sunt; oculi enim sapientis in capite eius. ad mysteria uocaris et nescis; disces. cum ueneris. at reminiscere illud: sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam: tunc cognosces quid sit ungere

caput uestrum, quomodo placueris deo, ut tibi sua patefaceret sacramenta, daret gratiam spiritalem.

est et aliud caput mysticum. quod illud? audi: caput mulieris uir, caput autem uiri Christus. mitte in Christum, mitte etiam in caput eius unguentum; caput eius deus est. illa mulier ecclesiae typum gerens, quae in caput eius misit unguentum, confessa est eius diuinitatem, et quae in pedes misit confessa est eius passionem. utraque laudatur: et tu fac quo lauderis. quo remissionem accipias peccatorum. laua faciem tuam, emunda animam tuam peccatricem, laua conscientiam tuam. index enim facies plerumque est conscientiae et quidam tacitus sermo mentis, cum aut peccato conpungimur aut integritate laetamur. noli hanc exterminare faciem, laua illam et omnem sordem conscientiae tuae dilue. exterminat faciem suam qui aliud corde gerit, aliud foris praetendit. non nos uelut quodam peripetasmate operiamus: quod intus est foris luceat, quod foris est intus operetur. nemo in ieiunio culpam includat, pure ferat innocentiam; ieiunium etenim culpae interfectorium est.

Sections 38 to 71

nemo amarioribus praeoptet dulcia. dulcis uoluptas uidetur, amarum ieiunium. hoc amaro illud dulce tollatur. solent amara etiam ipsis plus prodesse corporibus. sicut enim cum in intimis puerorum uisceribus uermes ex cibi indigestione nascuntur extingui non queunt nisi cum amarior potus infunditur aut medicamentorum uis inolescit asperior, quorum odore moriantur, ita profundum animae uirtus ingressa ieiunii culpam latentem interficit.

quid Esau seruum fratri suo fecit? nonne esca ad horam dulcis, amara in posterum? quid Iacob dominum fratri dedit? nonne contemptus cibi ad tempus amarior, sed salubris in reliquum? ipsa corpora dulcibus frequenter inflantur et melle iecur tenditur, idem tamen escae amaritudine temperatur. ideo non mediocris, sed laudata quaestio: de manducante exiuit esca et de forti dulce. alii habent: et de tristi dulce, Graeci codices maxime.

sed et forte laboriosum est; exit enim dulce de tristitia uel labore. noli ergo te iactare, cum ieiunas. noli gloriari, ne nihil tibi prosit ieiunium; quae enim ad ostentationem fiunt non in futurum fructum iam extendent suum, sed praesentium mercedem consumunt. Helias in deserto erat, ne quis ieiunantem uideret nisi soli corui, cum pascerent. Helisaeus in deserto erat, ubi non inueniretur esca nisi amara. Iohannes in deserto erat, ubi solas locustas aut mel siluestre inueniret. ieiunantibus epulae pio angelorum ministerio deferebantur. prandebat Daniel inter ieiunantes leones. ille prandebat alienum prandium. ferae non tangebant suum. ieiunantibus epulae uolant, prandentibus pedes uacillant: ieiunantibus de caelo mauna descendit, epulantibus culpa praeuaricationis ascendit.

Sed quid hoc est? dum de ieiunio disputo, strepitus audio conuiuiorum. nisi fallor, in sermone meo redoluit prandium. sonus ergo litterarum inuitat, inpatientiae exempla non terrent. etenim qui ieiunantem et ea quae legis sunt ferentem expectare non passus est populus utique sedit manducare et bibere et surrexerunt ludere. uidemus sacrilegium ebrietati fuisse coniunctum. nam sicut mater fidei continentia ita perfidiae mater ebrietas est. in quod facinus non ista praecipitat?

sedent in foribus tabernarum homines tunicam non habentes nec sumptum sequentis diei. de imperatoribus et potestatibus iudicant, immo regnare sibi uidentur et exercitibus imperare. fiunt ebrietate diuites qui sunt ueritate inopes. aurum donant, dispensant pecunias populis, ciuitates aedificant qui non habent cauponi unde potus <nisi> suis corporibus

pretium soluant. feruet enim uinum in his, nesciunt quid loquantur. diuites sunt, dum inebriantur; mox ubi uinum digesserint, cernunt se esse mendicos. uno die bibunt multorum dierum labores.

de ebrietate ad arma consurgitur, calicibus tela succedunt. pro uino sanguis effunditur et ipsum sanguinem uina fuderunt. quam fortes sibi homines uidentur in uino, quam sapientes, quam diserti. quantum etiam pulchri ac decori, cum stare non possint! mens necesse est titubet, lingua balbutiat, pallor exsanguis ora suffundat, <ut>faetor ebrietatis horrori sit. barbari in ferrum ruunt, uulgus in rixas. si quis eorum pugno fuerit percussus, uideas ora saucium uini lacrimas fundere, miserabiles epilogos decantare. habet unum hoc temulentia, ut emolliat et resoluat corda temulentorum; sicut ignis enim probat ferrum durum, ita et uini incendio etiam superborum hominum cor liquescit.

omnes sibi in uino aequales uidentur, nullus inferior. non pauper diuiti cedit, utpote qui pauperem esse se nescit: non infirmus ualido, cui omnis in bibendo est fortitudo: non mendicus locupleti, non ignobilis honorato, cum bibentes illum regem habeant qui bibendo superauit uiros. meritoque scriptum est: aequalis uita hominibus uinum in ebrietate. sed utinam et quod sequitur audires: bibas illud moderate, ut sis sobrius! non habes quod accuses uinum. in iocunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio. exultatio animae et cordis est, si moderate bibas, inmoderatior autem potus in iracundiam concitat et ruinas multas efficit.

sed forte dicant has esse potationes uulgarium et leuissimorum hominum. ueniamus ergo ad horum potentium et fortissimorum conuiuia. non ego hic unguentatos adulescentulos aut coronatos rosis proferam, qualem ferunt fuisse illum qui delibutus unguentis, redimitus floribus, subnixus meretricibus, antelucano pOt\'l ebrius et diurno cereorum comitatus lumine philosophi auditorium disputantis ingressus sit, quo audito coronas, ut aiunt, sensim detraxerit, unguenta deterserit, scortis uale dixerit, philosophus postea tantus euaserit, ut esset sobrietatis exemplum qui fuerat ante ebrietatis ludibrium. non enim unum emendatum illis inuideo, ut doceam genus eorum luxuriae a me non esse simulatum. certe ille si resipuit a uino, fuit tamen semper temulentus sacrilegio.

Apage igitur hinc adulescentes Inbricos, ad conuiuia proeliatorum uenimus. inter arma prandendum est. stipatores hic sunt bellici, qui ministrant succincti auro et Babylonicis lumbos suffulti balteis, aureis torquibus nitent colla, aureis bullis zonam tegunt, aureis thecis cultros includunt suos. quibus dimicent cum epulis diuidendis. adsistunt pueri coma nitentes ex gente barbarica ad hos electi usus per singularum distantes aetatum uices. cernas populorum diuersorum ordines, aciem ordinatam putes: uasa exposita argentea, pompam arbitreris: cornu in medio uini plenum non proeliaris, sed epularis instrumentum bucinae, quod discumbentes in certamen accendat.

primo minoribus poculis uelut ferentariis pugna praeluditur. uerum haec non sobrietatis species, sed bibendi est disciplina. etenim ut tragoediarum actores primo sensim uocem excitant, donec udae uocis aperiant iter, ut postea magnis possint clamoribus personare, ita

isti quoque in principio prolusoriis se exercent poculis, ut inritent sitim, ne forte restinguant eam et satiati postea bibere non possint. ergo ubi res calere coeperit, poscunt maioribus poculis, feruor inardescit Martius, cibo sitis exaestuat et, ubi inminui uisa, potu meraciore reparatur. certant pocula cum ferculis et inter morsus saepe remittuntur. deinde procedente potu longius contentiusque diuersa et magna certamina quis bibendo praecellat. nota grauis, si quis excuset, si quis temperandum forte uinum putet. et haec donec ad mensas perueniatur secundas.

at ubi consummatae fuerint epulae, putes iam esse surgendum: tunc de integro potum instaurant suum, cum consummauerint, tunc incohare se dicunt, tunc deferuntur fialae, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum. ac ne inmoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. agonithetes illis furor est, stipendium debilitas, uictoriae praemium culpa. pendit anceps diu et dubius belli euentus; furor enim ille est proeliaris. cedunt pincernarum manus uina fundentium et cocorum labores calida ministrantium, cedunt qui mensuras ipsas bonas. supereffluentes diligenti librant examine, ne quid effundant: non cedunt bibentes.

Sola illa sunt sine excusatione certamina. in bello si quis se inferiorem uiderit, arma conuertit et meretur ueniam: hic si quis calicem conuertat, urgetur ad potum. in scammate si quis manum leuat, exors quidem palmae, sed inmunis iniuriae est: in conuiuiis etsi manum reuocet a uino, ori eius infunditur. omnes inebriantur, uictores uictique omnes ebrii iacent plerique sopiti. nec portari eos ad sepulchrum licet, prius quam is qui pascit de omnibus se uindicatum uiderit, ut ulciscatur dispendium. qui autem damna non sentit hanc mensae suae gloriam putat, si ex ea uulnerati omnes ac saucii tamquam de harena exeant.

spectaculum triste Christianorum oculis et miserabili specie. cernas iuuenes terribilis nisu hostibus de conuiuio portari foras et inde ad conuiuium reportari, repleri ut exhauriant et exhauriri ut bibant. si quis uerecundior fuerit, ut erubescat surgere, cum iam immoderatos potus tenere non possit, anhelare uehementius, gemere, sudare, signis prodere quod pudeat confiteri. ibi unusquisque pugnas enarrat suas, ibi fortia facta sua praedicant, narrant tropaea uino madidi et somno soluti nesciunt mente quid lingua proferant. unusquisque stertit et potat, dormit et dimicat, et si quando consurrectum fuerit, uiri proeliatores stare non possunt, egressu uacillant. rident seruuli dominorum opprobria, manibus suis portant militem bellatorem, inponunt equo. itaque hac atque iliac tamquam nauigia sine gubernatore fluctuant et tamquam uulnere icti in terram defluunt, nisi excipiantur a seruulis. alii referuntur in scutis, fit pompa ludibrii. quos mane insignis armis spectaueras, uultu minaces, eosdem uesperi cernas etiam a puerulis inpune rideri sine ferro uulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso iuuentatis flore marcentes.

Quis tale miscuit furoris poculum, quis tantum infudit mentibus uenenum ? periclitatur homo lutum esse de corpore et ipse sibi reus est insaniae uoluntariae, corruptelae spontaneae. tamen nec uos excusamini, qui uocatis ut amicos et emittitis ut inimicos. quanto melius in terram tua uina fudisses! sed et terra inebriat et asperiores etiam ipsas feras

reddit, si uini contigerit odor. denique uindemiae tempore si uineam intrauerint, solent ebrietate succendi. quid te delectant damna sine gratia ? rogas ad iocunditatem, cogis ad mortem: inuitas ad prandium, ecferre uis ad sepulchrum: cibos promittis, tormenta inrogas: uina praetendis, uenena suffundis. omne enim quidquid nocet uenenum est. tollit sensus, uiscera exurit, somnum infestat, caput uexat.

etiam maior uis uini quam ueneni est. denique uenenum uino excluditur, non ninum ueneno. mento deus per Moysen non solum ueneno sed etiam draconum ueneno uinum conparauit dicens: furor draconum uinum ill orum et ira aspidum insanabilis. et pulcre addidit insanabilis; multi enim a reliquo serpentium ueneno curantur, nemo ab ebrietate. certe ueneno caro uulneratur, mens sine noxa est: ebrietas ad corporis mortem mentis etiam crimen adiungit. aduerte autem et perfidiae uenenum uini declaratum nomine. ait enim supra de alienigenis, qui nescirent deum: de uinea enim Sodomae uinum eorum est et uitis eorum uitis Gomorrae: uua eorum uua fellis, botrys amaritudinis in ipsis.

Putatis me tamquam uino crapulatum intemperantius ieiunii praedicationi hunc miscuisse sermonem: et adhuc propter hos fortissimos uiros quanta praeterii, quanto minora dixi quam dominus locutus est! audistis quid per Moysen dixerit, audite quid in libro sermonum Esaiae scriptum est. inuehitur enim dominus in huiusmodi uersus et ait: u ae his qui surgunt mane et sectantur sicera, qui ebrii sunt uesperi; nam uinum eos comburet. cum cithara enim et psalterio et tympanis uinum bibunt, opera autem dei non respiciunt et opera manuum eius non considerant. cui uae inquit, cui iudicia, cui tumultus? diuersa singulis, temulentis omnia. uae enim his qui ebrii sunt uesperi! quid igitur illis qui et ante uesperam et frequenter in lucem madent? ergo uae sibi debitum habent concertationes. conserunt lites, in caedem prosiliunt, ueniunt ad iudicia uel uocantur. habent ergo et iudicia tamquam rei. fit nonnumquam grauior tumultus, quia uino mens peruertitur ebriosi: et non meminit regis nec magistratus, ut scriptum est, et omnia per talenta facit loqui. et non meminerunt, cum biberint, amicitiae nec fraternae necessitudinis. sed post tumultum sumunt gladios et cum a uino mersi fuerint et surrexerint, non meminerunt ipsi quae gesserint. habent ergo etiam dignam mercedem tumultus.

praeterieram certe ego citharam psalteria tympana, quae cognouimus conuiuiis huiuscemodi frequenter adhiberi, ut uino et cantu excitentur libidines. plerique etiam Persico more mulieres dignas temulentorum consortio induci iubent et ab his fialas accipiunt atque illis se substernunt sedentibus. et hunc ritum sacratae habent obseruationis, ebrietatis ministerium. habent ergo uinum et barbari: libenter his Romani indulgent, ut et ipsi soluantur in potus et eneruati ebrietate uincantur. nec solum uinum ebrietatem facit, sed et sicera. denique Hebraei omnem potum qui inebriat sicerae nomine uocant.

Non inmerito ergo uae illis qui mane ebrietatis potum requirunt, quos conueniebat deo laudes referre, praeuenire lucem et occurrere oratione soli iustitiae, qui suos uisitat et exurgit nobis, si nos Christo, non uino et sicerae surgamus. piis hymni dicuntur, et tu citharam tenes? psalmi canuntur. et tu psalterium sumis aut tympanum? merito uae, quia salutem relinquis, mortem eligis. uix diluculum, et iam cursatur per tabernas. uinum quaeritur,

excutiuntur tapetes. accubitum festinant sternere, lagynas argenteas, auratos calices exponunt.

uae,inquit,istaquaerentibus! calix aureus Babylon in manu domini inebrians omnem terram. a uino eius biberunt omnes gentes, ideo commotae sunt. et subito cecidit Babylon et contrita est. calix ergo aureus contritus est, quia Babylon contrita est, quae est calix aureus. sed quamuis auro se iactet et pretio, in domini et ipsa est potestate. denique diuina indignatione conteritur. qua ratione calix aureus ? quoniam qui ueritate deficitur quaerit inlecebram, ut species saltem pretiosa ad bibendum aliquos possit inlicere.

constitue ante oculos pompam huius saeculi: uides speciosam inlecebram, sed inanem gratiam. non te inducant aurea uasa et argentea; habemus et nos thensaurum in uasis fictilibus. uas apostolicum fictile est, sed in eo thensaurus est Christi. uae siceram mane sectantes! aureum est hoc uas, poculum est: in eo poculo uenenum mortis, uenenum libidinis, uenenum ebrietatis est. hoc qui biberit commouetur et cadit. commouetur non solum corpore sed etiam corde turbato; commoueri enim peccati est.

Denique Cain exiens a conspectu dei habitauit in terra Naid, quod interpretatione significat commotionem. ergo qui calice aureo inebriatur peccato mouetur. quid te sub maledicto constituis Cain illius parricidae, ut tremas atque mouearis? sed et persecutores domini transeuntes mouebant capita sua: exagitabat enim eos spiritus nequam, qui repleta a se corpora mouere consueuit. et ille cum defuerit tremor desinit, ebrietas autem perpetuum dat tremorem. sudant uinum corpora temulentorum: si leuius contigeris, uinum exprimis.

ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum insaniae, ebrietas uenenum insipientiae. haec sensus hominum mutat et formas. per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, siquidem naturali uapore corporis calidi et praeter naturam uini calore flammati cohibere se non queunt et in bestiales libidines excitantur, ut nullum tempus praescriptum habeant, quo deceat indulgere concubitu. uocem amittunt, colore uariantur, oculis ignescunt, ore anhelant. fremunt naribus, in furorem inardescunt, sensu excidunt. hinc frenesis periculosa, hinc calculi grauis poena, hinc exitialis cruditas, hinc uomitus frequens semesas epulas cum internorum uiscerum cruore fundentium. mentior, nisi eadem dominus per Hieremiam locutus est dicens: bibite et inebriamini et uomite: et cadetis et non surgetis.

Hinc etiam uanae imagines, incerti uisus, instabilis gressus. umbras saepe transiliunt sicut foueas. nutat his terra, subito erigi et inclinari uidetur, quasi uertatur. timentes in faciem ruunt et solum manibus adprendunt aut concurrentibus -montibus sibi uidentur includi. murmur in auribus tamquam maris fluctuantis fragor et resonantia fluctu litora. canes si uiderint, leones arbitrantur et fugiunt. alii risu soluuntur incondito, alii inconsolabili maerore deplorant, alii inrationabilis cernunt pauores. uigilantes somniant, dormientes litigant. uita his somnium est, somnus his multus est. excitari nullis uocibus possunt: quantolibet stimulandos inpulsu putes, nisi resipierint, uigilare non possunt.

unde bene Hieremias huiusmodi hominem tamquam superfluam creaturam deflendum putat. quid est enim homo ebrius nisi creatura superflua? itaque sic ait: sicut fletum Iazer de-

flebo te, uitis, quia deserta est ciuitas Iazer, et infra: uinum erat in torcularibus tuis: mane non calcauerunt, meridie autem non fecerunt. Iazer rcotyotc rcspioooc, factura superflua est — moderatio enim naturalis est, supra mensuram quidquid est superfluum habetur — ita est ebrietas, quae fletu prophetico deploratur. unde ait apostolus: nolite inebriari uino, in quo est luxuria. sed implemini spirituest ergo ebrietas culpae, est et gratiae. et forte haec naturae quae gratiae, quia ad imaginem et similitudinem dei facti spiritu sancto repleti esse debemus.

Quid autem obtestationes potantium loquar ? quid memorem sacramenta, quae uiolare nefas arbitrantur? \'bibamus* inquiunt. \'opto salutem imperatorum, ut qui non biberit fiat reus indeuotionis; uidetur enim non amare imperatorem qui pro eius salute non biberit).s o piae deuotionis obsequium ! \'bibamus pro salute exercitus, pro comitum uirtute, pro filiorum sanitate\'. et haec uota ad deum peruenire iudicant sicut illi qui calices ad sepulchra martyrum deferunt atque illic in uesperam bibunt; aliter se exaudiri posse non credunt. o stultitia hominum, qui ebrietatem sacrificium putant, qui existimant illis ebrietatem placere qui ieiunio passionem sustinere didicerunt.

quantos de intemperanti conuiuio nouimus ad tormenta uenisse! dum per ebrietatem de imperio suo certant et sibi regna promittunt, honores aliis pollicentur, infelices ad poenam ducti sunt, qui quid dicerent nesciebant. unde plerique boni iudices ea quae per ebrietatem dicta essent tenenda ad crimen non putauerunt. plerique etiam uino utuntur ut eculeo et quibus tormenta non eliciunt uocem proditionis eos temptant bibendo, ut patriae statum, salutem ciuium, defensionis suae prodant consilia; uirtus enim plerumque uincit dolorem, fidem autem potus excludit. cognoui plerosque fidiculis exulceratos nomen suum negasse: quis inter cymbia texit quod latere cupiebat?

quid retexam auditum mihi non poculi, sed profluuii genus, quo in ora hominum tamquam per fistulas aut canales uina funduntur? homines hos an utres uerius aestimarim ? tamen ipsi utres, nisi moderata transfusio sit, saepe rumpuntur; per cornu etiam fluentia in fauces hominum uina decurrunt, et si quis respirauerit, conmissum flagitium, soluta acies: loco motus habetur. aqua decurrens a Libano cautes rupeas soluit, quomodo mollibus putant nequaquam nocere uisceribus uinolentorum impetus fluentorum?

elefantos quoque ferunt promoscide haurire aquae plurimum, eosdem tamen ad sedandam sitim moderato potu esse contentos, sed si forte ab aliquo caupone fuerint mercede fraudati, indignantes replere concauum promoscidis, non ut ebibant, sed effundant, atque in momentariis inundationibus inrigare eius tabernam de quo se putauerant uindicandos. siccantur ad potum subito lacus ac repente funduntur, natant omnia: cui non mirum tam immania beluarum corpora superfluum nil tenere?

Sed quid de uiris loquamur, quando etiam feminae, quas oportet sollicitiorem castitati sobrietatis adhibere custodiam, usque ad ebrietatem bibunt? deinde surgentes, quas etiam intra secreta domus uel audiri ab alienis non conuenit uel uideri, prodire in publicum non uelato capite, uultu procaci! apostolus mulieres tacere etiam in ecclesia iubet, domi uiros suos

praecipit interrogare. illae in plateis inuerecundos etiam uiris sub conspectu adulescentulorum intemperantium choros ducunt, iactantes comam, trahentes tunicas, scissae amictus, nudae lacertos, plaudentes manibus, saltantes pedibus, personantes Uocibus, inritantes in se iuuenum libidines motu histrionico, petulanti oculo, dedecoroso ludibrio. spectat corona adulescentium et fit miserabile theatrum. inter saltantium l\'uinas et spectantium lapsus caelum inpuro contaminatur aspectu, terra turpi saltatione polluitur, quae perobscaenis saltatibus uerberatur.

quomodo patienter loquar, pie praeteream, conuenienter defleam? uinum nobis tantarum animarum damna intulit. etenim si uinum et mulieres discedere a deo faciunt, quod uel ebrietas uel libido praeuaricationis inlecebrae sint, si singula ac separata <faciunt, unita> quid faciant ? unde non inmerito ait sapiens ante nos quidam: mulier ebriosa ira magna.

quid autem mirum, si uino decipiuntur animae feminarum, cum omnes illae tribus patrum, cum de petra biberent aquam, manna manducarent, gentes ualidissimas uincerent, et non erat in his ullus infirmus r ubi uero carnes desiderare coeperunt et desideriis in Aegyptum conuertebantur, nequaquam ex tot milibus hominum in terram repromissionis praeter duos peruenire meruerunt. itaque quid boni sit sobrietas, quid mali intemperantia hinc colligere datur: quando immurmurabant requirentes Aegypti delicias a serpentibus moriebantur, quando per maris rubri transibant semitam, aquam bibebant. non igitur ueremur exemplum, non fugimus delicias, ne nos futurorum bonorum adeptione defrudent?

i Et quid aliorum utar sententiis? ipsi bene pasti ac luxuriosi quid sibi sperent audiamus. inducit enim eos Esaias propheta dicentes: manducemus et bibamus; cras enim moriemur, meritoque exclamat: ululate naues Cartaginis, quia perierunt et amplius non erunt. quod est dictum de uisione Tyri, quam luxuriosam urbem cognouimus. ideoque nona uisio est, non septima aut octaua, quod ea neque legem custodiat neque euangelii gratiam, cum et sabbato legitimo ignes libidinis adolere sit uetitum, et euangelii serie octauus dies resurrectionis inluceat. idem autem dies primus atque octauus, quia dominica dies in se recurrit. luxuria ergo nec fidem habet nec obseruantiam disciplinae, luxuria seminarium et origo uitiorum est. nec arbitremini me aduersus apostolum dixisse, quia ille ait auaritiam radicem esse uitiorum omnium, quoniam luxuria ipsius est mater auaritiae. etenim cum exhauserit quis luxuriando proprias facultates, quaerit postea auara conpendia. audistis quid hodie lectum sit.

mercatores inquit Phoenicum transmeantes mare; in aqua multa semen mercatorum sicut messis, quae defertur. uicinae istae sunt ciuitates, Tyrus Phoenicae, Sidon, uicinae ut locis ita et uitiis, mercatores a negotiationibus periculosa transfretatione maris lucella quaerentes. sollicita uita hominum, inquieta conuersatio et quodam semper in turbine, uentis ipsis mobilior, quibus uoluitur atque huc et illuc saepe iactatur. utique accusatis crebra naufragia: quis uos nauigare conpellit? quasi non inuidia opum et terras faciatis intutas et ad latrocinium plurimos excitetis ? mare non ad nauigandum deus fecit, sed propter elementi pulchritudinem. latius pelagi fudit aequora certe, ut freto includeret terras, ne longius tu uagus et exul errares. sed tempestate iactatur mare: timere ergo, non

usurpare debetis. elementum innocens nil deliquit, temeritas humana sibi est ipsa discrimini. denique qui non nauigat nescit timere naufragium. dominus dixit: dominamini piscium maris, non dixit: enauigate in fluctibus. denique et propheta Iona, qui missus est in Nineuem, ut paenitentiam praedicaret, quia uoluit nauigare, ut fugeret a facie dei, tempestate turbatus et sorte ductus et iactatus in mare et exceptus a ceto est.

Propheta quoque Dauid ait, cum dei circa hominem commemoraret gratiam: omnia subiecisti sub pedibus eius, oues et boues uniuersas, insuper et pecora <campi, uolucres caeli et pisces maris, qui perambulant semitas maris. piscibus dedit, non hominibus perambulare maris semitam. ad escam tibi mare datum est, non ad periculum: cibo, non ad mercatum utere. cur tibi periculum generas de uoluptate ? cur separatioris elementi profunda rimaris? cur inquietas mundi altiora secreta? cur postremo saepius sulcare atque exarare fluctus inpatiens nauta contendis? cur temptas frequenter innoxia aequora, inritas procellas ? o inexplebilis auaritia mercatorum! cedit tibi et mare et inquietudinem tuam pelagus non potest sustinere. denique totiens recurrentibus mercatoribus exaratum: erubesce, Sidon, dixit mare. tamquam fatigati elementi uox I ista dicentis est: erubesce, Sidon, hoc est meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior. erubesce uel pudore, quoniam periculo non moueris. uerecundiores uenti sunt quam uestrae cupiditates. illi habent otia sua, numquam uestra quaerendi studia feriantur. et cum otiosa tempestas est, numquam uestra otiosa nauigia sunt. uenatur unda sub remige, quando quiescit a flamine.

Sections 72 to 85

non parturiui inquit nec peperi nec enutriui iuuenes. quid me inquietant quos nescio, quos non agnosco?\' ite in Cartaginem, ululate qui inhabitatis insulas! supra dixit: ululate, naues Cartaginis! Cartaginem etenim Tyrii condiderunt et ideo Cartaginenses sequuntur luxuriam conditorum transfusa in se decolora successione nequitiae, pessimorum uitiorum heredes deteriores. et bene luxuriosos naues dixit. sicut illae uento ita hi cibo iactantur et uino. insulas repleta potu inhabitant corpora, naufragiis circumsonant, tunduntur fluctibus ebrietatis, nec per diem nec noctu quiescunt. horum igitur mercatorum semen in aqua, < in aqua> messis fructus est. in aqua enim labores suos seminant, ut pericula metant, in aqua illis seges pullulat, in aqua messis exuberat, fructus ipse in aqua est, numquam tutus et solidus. unde recte ait: \'qui seminabat in terra non introiuit in negotiationem, immo qui seminabat in caelo. sed est et bona terra, in qua quicumque seminauerit fructus ei caelestes orientur.\'

i UI ulate inquit-iterum ait- naues Cartaginis, quoniam perit munitio uestra. et erit in illa die, relinquetur Tyrus et infra: eritque post annos LXX Tyrus uti canticum meretricis. uide quibus uerbis utatur propheta nec refugiat uerborum istiusmodi uilitatem. nos interdum refugimus, non quo nobis quam illis lingua sit castior, sed auctoritas inferior. maior enim uis rerum in talium expressione sermonum est, ut qui delicta non erubescunt erubescant uel nomina delictorum. erit inquit Tyrus ut canticum meretricis. uidete ne cum aliquis illos choros uiderit duci, turpia uerba cantari, dicat: ecce facta est Tyrus ut canticum meretricis.

oraculum propheticae adnuntiationis impletum. et subiecit: accipe citharam, uagare, ciuitas meretrix oblita, bene cithariza multa canta, ut fiat memoria tui. et erit post LXX annos Tyrus ut canticum meretricis et uisitationem faciet deus Tyri. unde possumus et in bono canticum Raab illius meretricis accipere, quae exploratores Iesu fideli mente suscepit. nam et dominus ait: cantauimus uobis, et non saltastis et Dauid ait: cantate domino canticum nouum, cantate domino omnis terra, hoc est canticum meretricis, quod illa ante meretrix in Adam et Eua terra cantauit, meretrix in populo nationum. haec meretrix plurimas meretrices bonas fecit, de quibus dictum est a domino Iesu ad illum electum et seniorem populum dei: publicani et meretrices praecedunt uos in regnum dei.

Ergo quoniam tam misericordem habemus dominum, qui etiam graui ignoscat errori, conuertamur a uitiis, non recedamus a lege, praeceptum domini quasi seruuli sedulis

studiis exequamur. quid nobis cum inpuritatibus et inpudicitiis, quid cum operibus diaboli? audistis hodie m lectione decursa quid legio dixerit: quid mihi et tibi est, Iesu, fili dei? et tu dic, si forte uides pugnare aduersum te diaboli temptamenta: \'quid mihi et tibi est, Belial? ego seruus Christi sum, illius redemptus sanguine, illi me totum mancipaui. quid mihi et tibi est? non noui opera tua, nihil tuum quaero, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero.\' quanto magis nos separari oportet a diabolo, si se ille discernit a Christo? et si fuimus ei in aliquo obnoxii, iam, non sumus. confugimus ad medicum. uulnera superiora curauit, et si quid superest acerbitatis, medella non deerit. etsi quid iniuriae fecimus, memor non erit qui semel donauit. etsi grauia deliquimus, magnum medicum inuenimus, magnam medicinam gratiae eius accepimus; magna medicina enim tollit peccata magna.

habemus etiam plura subdita, quibus peccata nostra redimamus. pecuniam habes, redime peccatum tuum. non uenalis est dominus, sed tu ipse uenalis es. peccatis tuis uenditus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua. uilis pecunia, sed pretiosa est misericordia. elimosyna namque a peccato liberat et alibi: redemptio uiri diuitiae eius et in euangelio: facite uobis amicos de mammona iniquitatis. et uenenum frequenter antidoto temperatur, hoc est ueneno uenenum excluditur, ueneno mors repellitur, uita seruatur. fac et tu quasi bonus dispensator de instrumento auaritiae subsidium misericordiae, sinceritatis gratiam de corruptionis inlecebra.

Audistis quid hodie lectum sit: ecce uenit dominus disperdere orbem terrarum. quasi manu sanctus propheta demonstret, quasi oculis aduenientem uideat iudicii diem, ita dicit: ecce uenit dominus disperdere orbem terrarum. immo quia in spiritu prophetis etiam quae futura sunt tamquam praesentia reuelantur, ideo quae uidebat nobis quoque demonstrare cupiebat, ut nos ad conuersionem ab errore reuocaret.

nec tamen quisquam frangi debet, cum audit quia disperdet dominus orbem terrarum, ne forte dicat: esto, nos grauia peccata commisimus: quid deliquit caelum, quid terra, quid mare, ut et illa disperdat? cur perit tam pulcher ornatus?\' angusti est animi eiusmodi opinio. ceterum si altius spectes, inuenies hoc esse pro nobis quod putas esse contra nos, iudicabis hoc esse pro mundo quod aduersus mundum arbitrris. non semper stadium refertum est spectatoribus, non semper certaminibus inquietum, non semper concretum puluere, sed quando certamina, tunc populus in spectaculo, luctator in scammate, puluis in stadio. ubi decursa certamina, conuentus soluitur, discedit unusquisque aut uictor ad gratiam aut uictus ad opprobrium. euehit corona uictorem, uictum premit uerecundia, angit iniuria. si quis ergo postea ingrediatur stadium, uideat uacuum celebritatis, dicat agonithetae cur uacet stadium, cur sileant certamina, cur sollemnitas ferietur, respondebit qui agoni praeest: \'oportet requiescere athletas, oportet requiescere spectatores.) qui enim laboris est fructus nisi requies post laborem? similiter et orbis terrarum aliquando soluendus est, ut sit requies fatigatis.

Athletae sumus, in quodam stadio decernimus spiritali. denique bonus athleta dicebat: facti sumus spectaculum huius mundi et alibi: sic curro non ut in incertum, sic enitor, non ut aera caedens, sed castigo corpus meum et alibi: superiora obliuiscens et ea quae sunt priora

adpetens ad destinatum sequor, ad brabium. athletae ergo sumus, legitime certandum est. multa luctamina sunt, et qui hodie uictus est eras se reparat. ante ad brabium contenditur, ad coronam postea. numquid athleta otio uacat, cum semel dederit certamini nomen suum? exercetur cottidie, unguitur cottidie. ipse cibus ei agonisticus datur, disciplina exigitur, castimonia custoditur. et tu dedisti nomen tuum ad agonem Christi, subscripsisti ad conpetitionem coronae: meditare, exercere, ungere oleo laetitiae, unguento exinanito. cibus tuus cibus sobrietatis sit, nihil habeat intemperantiae, nihil luxuriae, potus tuus parcior, ne quid ebrietatis obrepat, custodi corporis castimoniam, ut possis esse habilis ad coronam, ne existimatio tua offendat spectatoris affectum, ne te fautores tui neclegentem uideant et deserant. spectant te archangeli et potestates et dominationes et illa angelorum decem milia decem milium. sub tantis erubescere considera quam dedecorosum sit, ingressus stadium uigorem animae tuae excita, lacertos excute. progressus in scamma necesse est excipias puluerem, subeas aestiui solis flagrantiam. grauis aestus, sed dulcis uictoria: molesta caligo pulueris, sed speciosa tolerantia. nemo stadium puluerulentus ingreditur, sed puluerulentum reddunt certamina: ibi colligitur puluis, ubi palma proponitur. nemo iterum nitidus coronatur, puluerulentum decet uictoria.

ueni ergo, domine Iesu, exeat corona tua, dimitte uictores in requiem, uictos ad conpunctionem. etsi disperdis orbem terrarum, plura sunt inuisibilia opera tua quam quae uidimus. qui angustioris est animi illa non cernit, dolet quod disperdas orbem terrarum, sed qui nouit spectare quae inuisibilia sunt gaudet ut uenias et omnes liberes. gaudent athletae, qui possunt dicere: ueniat regnum tuum, fiat uoluntas tua sicut in caelo et in terra. gaudebit creatura mundi, ut a uanitate mundi istius liberetur, quae nunc congemiscit et parturit, quia uanitati etiam illa creatura subiecta est, donec multiplicetur adoptio filiorum et totius corporis redemptio conpleatur. in bono ergo disperdet orbem terrarum. erit etenim caelum nouum et nox non erit amplius. denique reuelabit, inquit, faciem eius, ut reuelata facie spectemus gloriam Christi.

Aduertimus igitur in stadio constituti quantis aut delectationi aut dolori erimus, qui nunc fautores nobis sunt, ne pro nobis incipiant erubescere. sicut enim erit gaudium in caelo super uno peccatore paenitentiam agente. ita erit maestitia super eo qui non exorata uenia cursum uitae huius confecerit. castigemus ergo corpus nostrum ieiuniis, fugiamus indecoras comisationes. caueamus ne nobis dicatur: ululate a uino, ne ueniat Moyses, Leuitas aduocet. quicumque paratus ad dominum armatam dexteram gerat separet se ab iis qui manducando et bibendo grauia contraxere peccata. et hodie Moyses uenit, cum lex recensetur: Moyses uocat, cum lex praecipit.

apostolus docet ut separemus nos ab omni fratre inquiete agente. percutiamus eum gladio spiritali, qui est uerbum dei. non fratris, non propinqui accipiamus personam, sed omnem inmundum a Christi secernamus altaribus, ut emundet et corrigat lapsus suos, quo ad sacramenta Christi redire mereatur.

si quis autem non est baptizatus, securior conuertatur remissionem accipiens peccatorum..... uelut ignis quidam peccata consumit, quia Christus in igne et spiritu baptizat.

denique hunc typum legis in Regnorum libris, ubi Helias super altare ligna inposuit et dixit ut mitterent supra de hydriis aquam. et dixit: iterate, et iterauerunt. et dixit: iterate tertio, et iterauerunt et tertio et, cum manaret aqua, precatus est Helias, et ignis descendit e caelo. tu es homo super altare, qui ablueris aqua, cuius exuritur culpa ut uita renouetur; lignum enim et stipulam consumit ignis. noli timere ignem per quem inluminaris. ideo tibi dicitur: accedite ad eum et inluminamini. suscipite iugum Christi. nolite timere quia iugum est: festinate, quia leue est. non conterit colla, sed honestat. quid dubitatis, quid procrastinatis? non alligat ceruicem uinculis, sed mentem gratia copulat, non necessitate constringit,

..... quid negas adhuc esse temporis? omne tempus oportunum ad indulgentiam. si aurum tibi offeram, non mihi dicis: cras ueniam, sed iam exigis. nemo differt, nullus excusat: redemptio animae promittitur, et nemo festinat. Iohannes in paenitentiam baptizabat, et omnis Iudaea conueniebat: Christus baptizat in spiritu, Christus gratiam dispensat, et cum fastidio conueuitur. typum baptismatis demonstrauit Helias et caelum aperuit, quod fuit clausum tribus annis et sex mensibus. quanto maiora munera ueritatis sunt! aperuit utique caelum non pluuia descendens, sed ascendens gratia; nemo enim nisi per aquam et spiritum ascendit in regnum caelorum. clauserat caelum hominibus perfidia, sed aperuit fides.

patebat et ante hoc caelum hominibus. denique Enoch raptus ad caelum est. iterum clausum est, sed aperuit Helias. qui raptus est curru. et uos potestis ascendere, si sacramenti gratiam consequamini. quousque delectationes, quousque comissationes? instat iudicii dies: dum differs gratiam, mors adpropinquat. quis dicat: (non mihi nunc uacat, occupatus sum, non mihi demonstres lumen, nolo tam cito me redimas, non mihi adhuc opus est regnum caeleste?\' nonne hoc dicit qui excusat a baptismate? et quanta gratia renouaris, o homo! <purgaris> et non exureris, sanaris et non doles, reformaris et non dissolueris, ictum mortis non excipis et resurgis. et adhuc dissimulas, adhuc expectas ut uiuas saeculo, postea te reseruas deo? ignoras quod Cain propterea displicuerit sacrificium, quoniam non primitiua optulit, sed primitiuis ipse perfunctus de sequentibus munus deo temptauit offerre, Abel autem primitiarum oblatione praelatus meruit insigne pietatis?

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sanctii Ambrosii Opera*** edited by Karl Schenkl (Prague, Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1897) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 32.2), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.